ſe petit audiri. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. Hoc ad ſuperbos reſpicit. quorum ſuperbia ut fumus euaneſcit. Di
cit penitens. Dum ergo erexi me in ſuperbiam. dies mei. id eſt tempus uitę meę ſicut fumus euanuerunt. Et oſſa mea
ſicut cremium aruerunt. Per exaggerationem talia ſe dicunt propter penitentes. qualia non poteſt ſufferre humana
natura. Cremium eſt faſciculus. qui fit ex ſiccis lignis. ut merges. Dicit ergo penitens ſicut faſciculus ex ſiccis
lignis ut ſegetibus, cum proiectum in igne cito exardeſcit. ita oſſa mea id eſt uirtutes animi mei. cum ego eleuatus
ſum in ſuperbiam defecerunt. Percuſſus ſum ut f(enum) et a(ruit) cor m(eum). id eſt defecit mens mea. Quia oblitus ſum comedere
panem meum. Panis. Chriſtus intellegitur. qui dicit. Ego ſum panis uiuus. Tunc enim obliuiſcitur homo comedere pa
nem ſuum. id eſt Chriſtum. quando deſerens precepta illius. iungitur diabolo. Dicit ergo penitens. idcirco quia oblitus ſum Chriſto.
percuſſus ſum a diabolo. A uoce gemitus mei. a(dhesit) o(s) m(eum) c(arni) m(eę). A uoce afflictionis meę. quia peccata mea defleui. propter
nimiam afflictionem meam. adheſit os meum carni meę id eſt cuti. Vel adheſit os meum carni meę. id eſt peniten
tiam agens. conpaſſus ſum fratri non recte ambulanti. cupiens illum ad bonum opus perducere. Similis factus ſum pellica
no ſolitudinis. Pelicanus eſt auis macilenta in egypto quęrens ſolitudinem. per quam demonſtratur uita illorum. qui
ſe remouent a conſortio ceterorum. et habitant in ſolitudine ſicut heremitę. Dicit penitens. Sicut pellicanus
auis macilenta eſt. ſic et ego tempore penitentię ſum afflictus. Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.
Nicticorax dicitur noctis coruus. per quam deſignantur penitentes. nocte deflentes peccata ſua. et circum euntes car
ceres uinculatorum miſericordiam illis impendunt. Vigilaui. et f(actus) ſ(um) ſ(icut) p(asser) ſ(olitarius) i(n) t(ecto). Uigilaui. id eſt expergefactus ſum. et factus
ſum ſimilis paſſeri. Sicut paſſer remouet ſe a ceteris auibus. et ponit nidum ſuum in foraminibus domorum. ne rapi
antur pulli eius ab auibus; ſic penitentes iungunt ſe ceteris fidelibus; et uenientes ad eccleſiam plangunt peccata ſua
et laudes deo perſoluunt. Tota die exprobrabant mihi inimici mei. Toto tempore irridebant me inimici mei.
qui prius uidebantur mei eſſe amici. Et qui laudabant me aduerſum me iurabant. Et qui laudabant me. id eſt
qui me bonum dicebant dum malum agere uidentes me in afflictione poſitum contra me iurabant dicentes.
Sic eueniat iſti ſicuti illi qui iam pene inter mortuos deputatus eſt. Quia cinerem tamquam panem manduca
bam. Cinis. reliquię ſunt lignorum. Per ligna ergo maiora peccata. per cinerem minora intelleguntur. Dicit penitens.
Sic homo auide comedit panem. ſic ego deflebam maiora et minora peccata. Et poculum meum cum fletu miſce
bam. Per poculum. ſacra ſcriptura intellegitur. Dicit penitens. Deflens peccata mea legebam ſacram ſcripturam cogitans
ſupplicia quę permittuntur peccantibus. A facie irę et indignationis tuę. q(uia) e(leuans) a(llisisti) m(e). A facie irę. id eſt a timore ge
hennę. et uindictę et indignationis. hoc eſt furoris tui eleuans alliſiſti me. Dicit penitens. Tu dediſti mihi
proſperitatem. et ego eleuatus ſum in ſuperbiam. Sed cum hoc feciſſem. eieciſti me de altitudine ſuperbię. Dies mei ſicut
umbra declinauerunt. Sicut umbra declinans recedit ſole adueniente. ſic dies mei. hoc eſt omne tempus uitę
meę. defecit. dum cecidi in peccatis. Et ego ſicut foenum arui. Et ſicut foenum areſcit cum ad maturitatem peruenit.
ſic ego defeci. Tu autem domine in eternum permanes. Dominus in eternum permanet. quia nec initium nec finem habet. Et memo
riale tuum in generatione et generationem. Memoriale dei. hoc eſt cultus religionis qui fuit in generatione iu
deorum. et eſt nunc in generatione gentili. Tu exurgens miſereberis ſyon. Vox prophetę ad filium dei. Tu reſurgens
a mortuis. miſereberis ſyon. id eſt eccleſię tuę. Quia tempus miſerendi eius. quia iam uenit tempus tuę incarnationis
uidelicet ut tua paſſione redimas genus humanum. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius. Quando ſeruis tuis id eſt
prędicatoribus tuis placuerunt lapides eccleſię. uidelicet auditores prędicatorum qui ad fidem uenerunt. Lapides enim fu
erunt gentiles. qui iam emolliti ſunt ad prędicationem doctorum. Et terrę eius miſerebuntur. Prędicatores ſcilicet terrenę ec
cleſię ſunt miſerti. id eſt hominibus: dimittendo illis peccata per baptiſmum et impoſitionem manuum. Et timebunt gentes no
men domini. Gentes ante aduentum ſaluatoris idola uenerantes timebant illa. quia ut deos illa colebant. Sed ad
ueniente domino iam non idola. ſed dominum timentes ſunt. et eius nomen uenerantur. Et omnes reges terrę gloriam tuam. Omnes
reges qui bene regunt motus ſui corporis. gloriam dei id eſt potentiam timent. Quia ędificauit dominus ſyon. et u(idebitur) i(n) g(loria) ſ(ua).
Aedificauit. et ędificat cotidie dominus ſyon. id eſt eccleſiam. et uidebitur ipſe ab ea in gloria ſua. hoc eſt in maieſtate ſua
in futuro. Reſpexit in orationem humilium. Deus reſpexit ad orationem humilium. id eſt ſimplicium hominum. qui incarnationem